



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 33. Exuviae occisorum Sociorum in tutum recipiuntur & honorantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

effet. Sic non frustra cecidit loquacis cordis vaticinium, afferentis, Caaroënses ob patratum facinus acerbas res inanere, & pollicentis otoribus suis iteratum auxilium. Humanis judiciis Divina subiectam: neque enim casu factum esse arbitror, ut omnibus & solis Sociorum interfectoribus, antea sanis, postquam capti sunt, fœdæ & maleolentes pustulæ in manibus nascentur. Sanè Marangoꝝ manus ita imputrue- runt, ut sibi ipse horrore esset. Cujus rei juratos testes ex tabulis publicis profere possem. Atque hæc omnia documento esse possunt, quām non lento gradu no- bilia scelera prosequatur Divina Nemesis. Nemo ex Neophytis repertus est, qui pro cognatis suis perduellibus judicem oraret; aut mallet condonati magis, quam puniri.

CASTIGATIS Caaroënsibus, Didacus Boroa sacras Sociorum exuvias, secu- ritatis & honoris ergo, ad Conceptionis oppidum transportari curavit: qua- rum oneri, per aliquot dierum iter, milites ex bello reduces, & nobiles Casiqui, sibi invicem succedentes, succollavere: donec Ibitiraquanorum oppido proximis sece obviam effunderet multitudo, & utrinque pompa, ovationi quām funeri pro- pior, ordinaretur. Præcedebant cum signis victores, post se captivos revinctos trahentes. Subsequerantur Ibitiraquanorum distincti ordines: primus erat puerorum vario plausu & fremitu acclamantium, his succedebant mulieres jussæ con- tinere lachrymas ne mestitia signis memoriam tantæ felicitatis fœdarent. Inde gradiebatur virorum agmen, quos excipiebant gentis primores, & quotquot va- riām musicam excolebant. Feretrorum latera claudebant nostri Sacerdotes, qui ex multis oppidis confluxerant. Plebs arcubus triumphalibus vias ornaverat, & per justa intervalla festos ignes incenderat, aliaque letitiae ostentamenta exhibue- rat. Inter hanc pompam lacra cadavera in Conceptionis templum inducta hono- rifico peginati imposita sunt. Postquam pompa tumultus subsedit Didacus Boroa pro suggestu luculentâ oratione eos laudavit, quibus sepulturæ honos ha- bebatur. Victores appellavit, & in morte felices, qui inter ipsam virtutem de- functi sanguine suo gloriam æternitati consecrabant. Eos dixit Deo caros, & Superis pares, futurosque olim in terris venerabiles, necnon apud supremum Numen Americanorum patronos. Conversus deinde ad Hispanos milites, nava- tæ operæ gratias egit, monens Deum quidem & bonam famam viris gloriofis optimum præmium esse; sed Societati præterea curæ fore, ut beneficium in non ingratos homines collatum fuisse cognoscerent. Denique in imminensum extulit Neophytorum Catechumenorumque virtutem, pro religione contra gentiles suos & necessitudines adeò fortiter pugnantium. Mox rite cōpositis sub arā cada- veribus, & auxiliaribus copiis dimissis, pompa soluta est. Nec uno in loco honor Heroëbus habitus est. Nam in Assumptionis urbe cives & uterque Ma- gistratus, mixtis mœroris & lœtitiae signis, splendidè parentarunt, Rochi Gonfal- vii germano fratre Canonico, Ambrosii & Augustini hymnum in gratiarum acti- onem festivè admodum insonante. Idem præstiterè nostri & Franciscanæ fami- liae alumni, summopere aeventes, ut sibi reliquiarum aliquid mitteretur, quās ubique summi viri venerati sunt. Ante eas Paraquariensis Episcopus in genua prævolutus sanctè asseruit, se quidem cā authoritate carete, quā opus est ad Heroës Divorum albo inscribendos, sed neminem sibi obstitutorum, quin privatim eos coleret. Mu- tius Vitellescus Genitalis cor Rochi sagittâ transfixum, ex ipsa Paraquaria dono missum, in cubiculum suum inter sacram supellestilem, non sine commendatione, intulit. Academia Cordubensis Gymnasticis encomiis: Nierembergius panegyri Hispanicā Latināque: Ioninus carmine; Ferruinus Provincialis synopsi Regi Ca- tholicō inscriptā; Alegambe inter illustres mortes eleganti elogio; denique Didacus Boroa, ejusdem Provinciæ Præpositus, longa & accurata jutti voluminis historiā nostros Heroës celebrarunt. Mearum verò partium hic est breviter, quo quisque loco natus sit, & quibus moribus vixerit, posteritati commendare.

CAPUT
XXXIII.
Exuvias so-
ciorum in
tutum re-
cipiuntur.
& honoran-
tur.

Honor fa-
nebris.

Panegyri.

Hispani lau-
dati;

Neophyti,
Catechume-
nique,

Socii ubique
honorati.